



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117859

§.24. Res Ecclesiasticæ in Forojulio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

Sæculum IX.

A. C. 803.

§. XXIV.

*Res Ecclesiasticæ in Foro Julio.**Sigon. de
Reg. Ital.
lib. 4.*

Illa tempestate Venetiis Dux & Tribuni annui Rempublicam regebant. Dux nomine Joannes, ut Imperatori Nicephoro adularetur, Græcum hominem nomine Christophorum ad Episcopatum Olivolitanum, in una illarum Insularum, ex quibus Urbs Venetorum constat, & ubi hodieque est Ecclesia Matrix, evehere nitebatur; at Tribuni Christophorum ordinari prohibuerunt, rogaruntque Joannem Patriarcham Gradensem, ne ei consecrationem impertiri vellet. Patriarcha non solum illorum petitioni annuit, sed etiam Christophorum excommunicavit; quare Dux Venetiarum usque adeo incitatus est, ut Classe contra Gradenses adornata & Civitate primo impetu superata, Patriarcham ex altissima turri in præcipitium deturbaverit.

*vid. Coint.
803. to. 7.
Conc. p. 1187*

Tantæ crudelitatis facinore ad Paulinum Patriarcham Aquilejensem delato, Synodum convocat in Altinensi Civitate, aliquando Episcopali, sed tunc alteri Sedi subjecta; unde data ad Carolum Imperatorem Epistola Synodica queritur, Presbyteros verberibus fuisse affectos, & semivivos projectos, alios interfectos, hortaturque, ut tanquam solus Ecclesiæ Vindex hæc crimina puniat; sic enim futu-

futurum, ut justissimæ severitatis exemplo plurimorum temeritas coerceretur. Sæculum IX.
A. C. 803.

Hujus causæ exitum ignoramus, nisi quod legamus, Tribunos Venetos curasse, ut in locum Joannis Fortunatus Patriarcha Gradensis eligeretur, cui Leo Papa Pallium misit cum Epistola 21. Martii Indictione undecima nempe anno octingentesimo tertio Caroli Imperatoris tertio data. Unde perspicimus, Papam a tempore ejus Coronationis annos a Regno ipsius sicut antea a Regno Imperatorum Constantinopolitanorum adnotasse.

§. XXV.

Chorepiscopi tolluntur.

Eodem anno Paulinus, ut Leonis Papæ *Baluz. not.*
Vicarius frequenti Concilio, Regis *in capit.*
Caroli jussu Aquisgrani celebrato, & sub *p. 1058.*
finem anni superioris octingentesimi secundi inchoato, præfuisse creditur, de quo nobis superest Capitulare completens septem Articulos, maxime ad Chorepiscopos pertinentes. In eo Imperator loquitur in hunc modum: *Sæpe* ^{*to. I. p. 379.*}
fastidium nobis crearunt querelæ contra ^{*c. 4.*} *VII. cap. 200*
Chorepiscopos non semel, aut bis terve ^{*al. 187.*}
sed frequentissime, nec solum a Clericis,
sed etiam a Laicis allatæ. Presbyteri,
Diaconi & Subdiaconi ab Episcopis
ordinati æquales illos recipere volebant,
quos